

ut operans est præveniens, et non ut cooperans. Consequentia est clara. Major declaratur, quia illa gratia infunditur a solo Deo voluntati prius natura quam operetur; unde necesse est ut illam efficiat, et suo modo illam informet, quia non potest in ea fieri, quin illi inhæreat, nec potest illi inhærere, quin eam informet; hæc autem informatio, juxta illam sententiam, in hoc consistit quod voluntatem ita compleat in virtute et efficacia, ut eam omnino determinet ad eliciendum consensum prius natura quam agat, quamvis se continere non possit, quin in eodem instanti temporis, et posterius naturæ illum actum eliciat; ergo in illo priori naturæ, et in toto illo munere, habet illud auxilium vim et causalitatem solius gratiæ operantis, quia et a solo Deo fit, et se solo sine ulla cooperatione liberi arbitrii totum illum effectum confert. Deinde vero gratia illa efficit ipsum consensum voluntatis tanquam principium ejus, vel principii complementum, juxta varios modos loquendi eorum actuum, quos infra tractabimus. Sub hac ergo ratione participat causalitatem effectivam, et donec intelligatur illam actualiter exercere, nondum habet rationem gratiæ cooperantis, quia in toto priori naturæ, quod antecedit effectivam causalitatem, nondum est cooperans, ut declaravi. Et ita est sufficienter declarata tota major propositio, quam in principis illius sententiæ sectatores ejus negare non possunt, si constanter loquuntur. Probat ergo minor, quia gratia non potest intelligi in actu secundo efficiens consensum voluntatis, prius natura quam voluntas etiam illum efficiat; ergo ut actu efficiens non est gratia præveniens, sed comitans. At non est gratia cooperans nisi ut actu efficiens, seu tunc incipit esse cooperans cum incipit efficere actu; ergo ut cooperans non est præveniens, sed comitans, et juvans ipsam voluntatem operantem.

10. *Probat ex doctrina divi Thomæ.*—*Objectio rejicitur.*—Tertio, declaratur idem in doctrina D. Thomæ, in dicta quæst. 111, art. 3, ubi ait gratiam habituales esse operantem, ut informat animam, cooperantem vero ut est principium operis, sicque habitus charitatis cum actu non operatur, sive in tempore, sive in naturæ ordine, non potest dici cooperans, sed tantum operans, quia nondum effective operatur, sed tum formaliter incipit esse cooperans, cum incipit effective operari; ergo idem est dicendum cum proportionem de auxilio illo prædeterminante, si detur; solum enim

intervenit differentia, quia habitus prius tempore potest esse gratia operans, quam cooperans, quia in re ipsa potest ab operatione effectiva separari; illud vero auxilium simul tempore semper est gratia operans, et cooperans, in prioritate autem et ordine naturæ servat proportionem. At vero charitas habitualis non potest dici præveniens in quantum cooperans, quia non prius natura operatur quam ipsa voluntas, sed solum habet rationem gratiæ prævenientis, quatenus est operans; ergo idem est de auxilio præmovente. Respondent constituendo discrimen, quia habitus non facit facere voluntatem, sed potius voluntas utitur habitu: illud autem auxilium facit facere voluntatem, imo et ipsum habitum, et ideo ut sic natura antecedit, et est præveniens: sed hoc nihil obstat, quia etiam posita illa doctrina, illudmet *facit facere*, ut est prius natura quam ipsum *facere*, non potest esse ab illo auxilio effective, sed tantum formaliter adherendo, et quasi inclinando, et impellendo potentiam nondum vitaliter operantem. Nam licet Deus, quatenus effective infundit illud auxilium, dicatur (juxta illam opinionem) facere ut faciamus, tamen ipsum auxilium, ut prius natura inest voluntati quam effective operetur, non potest effective facere ut faciat, sed tantum formaliter, quia implicatio est dicere, quod causet effective prius natura quam efficiat; ergo formaliter tantum potest dici facere ut faciat. Unde cum Alvarez supra, ad confirmationem secundi argumenti, dicit cooperationem hujus gratiæ, secundum instans naturæ præcedere, non eliciendo operationem sine nobis, sed faciendum quod nos libere et infallibiliter consentiamus, vel repugnantia dicit, vel verbis æquivoce utitur; quia si illa gratia non prius natura elicit operationem, non causat effective; ergo ut sic non est cooperans, nec facit facere nisi formaliter adherendo. Deinde in secunda solutione ad 15, dicit primum initium nostri consensus esse a sola illa gratia, movendo, ait, et applicando liberum arbitrium ad operandum. At hoc non facit effective, sed formaliter, et consequenter ut gratia operans. Neque in ipso consensu est aliud initium præter actionem ipsam vitalem; igitur illud auxilium, prout inchoat consensum illo modo, seu prout eodem modo facit facere, non est gratia cooperans, sed operans, nam cooperans dicitur ut cum voluntate facit, sicut etiam ipsum nomen præ se fert. Quamvis ergo illud auxilium, ut facit facere, sit gratia præveniens,

non ideo ut cooperans est præviens, sed tantum comitans.

11. *Quarto et ultimo probatur ex modo quo dici potest cooperans.*—Ultimo declaratur, quia duobus modis potest gratia denominari cooperans, sicut supra de adjuvante diximus. Uno modo tanquam actio, seu actualis influxus gratiæ, quæ dicitur cooperans quatenus imbitur essentialiter in actione ipsius liberi arbitrii. Alio modo tanquam principium, a quo influit actio, seu influxus cooperans. Priori modo, repugnat gratiam cooperantem esse prævenientem, quia essentialiter imbitur in actione et influxu liberi arbitrii, et ideo non potest esse prior natura, quia nec est causa ejus, sed in re sunt omnino idem, nec potest aliquid esse prius natura, quam id cum quo essentialiter identificatur, et ideo iidem auctores hoc genus auxilii vocant simultaneum, non præviens, ut in sequentibus capitibus late videbimus. Posteriori autem modo non dicitur gratia cooperans prius natura quam operetur, quia per ipsam cooperationis actionem denominatur cooperans, sicut agens denominatur ab actione. Non enim dicitur gratia cooperans aptitudine tantum, seu in actu primo, id est, quia potens est ad cooperandum cum voluntate; sic enim et habitus dormientis diceretur cooperans, et Deus ipse, quando nihil actu facit, et voluntas ipsa existens in otio diceretur cooperans, quia apta est ad operandum: hæc autem omnino falsa esse constat; ergo illa denominatio sumitur ab actuali influxu cooperativo; ergo si influxus ipse non potest esse gratia præveniens, multo minus principium ejus, quatenus cooperans est, potest esse præveniens, quia talis denominatio supponit influxum simultaneum, ac proinde supponit etiam liberi arbitrii influxum: ergo gratia cooperans etiam physice, ut talis est, non potest esse præveniens. Unde repugnantiam profecto in dictis involvunt, qui fatentur motionem præviens non esse cooperantem, nisi simul tempore cum producit effectum, et nihilominus dicunt etiam ut sic esse prævenientem; nam in actuali influxu non prævenit voluntatem, nec efficit actum ejus prius natura, quam ipsa voluntas, ut satis demonstratum est, et iterum statim dicam, et sæpius in sequentibus.

12. *Tertia conclusio.*—*Gratia cooperans nunquam est præveniens ratione consensus liberi.*—Atque hinc concludo, et dico tertio, gratiam cooperantem, qualiscumque illa sit, nunquam esse prævenientem respectu coope-

rationis liberi arbitrii; hanc assertionem generaliter probant rationes factæ proxime; solum illam addo, ne quis existimet doctrinam datam procedere tantum ex suppositione auxilii prædeterminantis, et physice cooperantis, nam doctrina universalis est de omni gratia prævia quæ transit in cooperantem, sive moraliter juvando, ut est gratia excitans, sive physice, ut est habitus infusus, vel interdum ipse Spiritus Sanctus, juxta superius dicta. Probarique ulterius potest ex dictis supra de gratia adjuvante; ibi enim multa ex doctrina Augustini allegavimus, quibus ostendit gratiam non esse adjuvantem, nisi nobis etiam coadjutantibus, quia verbum *adjuvandi* mutuum relationem involvit. Eandem autem, et expressius, indicat verbum *cooperandi*, ut per se patet.

13. *Objicitur cooperari non dicere respectum ad eum qui simul natura operatur.*—*Rejicitur hæc objectio.*—Dicunt vero aliqui cooperari dicere respectum ad alium simul tempore operantem, non tamen ad eum qui simul natura operatur. Sed contra. Primo quia, quidquid sit an possit id contingere vel sufficere in his qui diversis actionibus simul agunt, in his qui unam et indivisibilem simul actionem eliciunt impossibile est, ut una indivisibilis actio essentialiter pendens a duobus principis, prius natura et causalitate sit ab uno quam ab alio, quia indivisibilis entitas et formalis ratio actionis hujusmodi simul natura est tota; ergo simul etiam natura dicit habitudinem ad utrumque principium. Talis autem est simultas, quam verbum cooperandi in his actionibus gratiæ denotat; ergo dicit relationem ad alium cooperantem simul non tantum tempore, sed etiam natura. Secundo, id maxime confirmatur, quia illa actio intrinsece est vitalis; ergo impossibile est prius natura fieri ab aliquo principio adjuvante potentiam, quam ab ipsamet potentia vitali; ergo non habet talis actio esse prius natura a quacumque gratia adjuvante, quam ab ipsa voluntate; ergo talis gratia, ut actu efficiens, non potest esse præveniens respectu voluntatis, ut cooperantis. Tertio, quia auxilium præviens jam inditum voluntati, in eo instanti in quo actu cum illa operatur, non habet causalitatem in illam, ut operantem, præter influxum simultaneum in ipsam operationem, quia si quam aliam causalitatem in ipsa voluntate prius natura habet, illa non est gratiæ cooperantis, sed operantis, ut jam explicavi, quia non est ab ipsa motione ut efficiente, sed ut inhærente; ergo talis cooperatio efectiva non dicit

tantum relationem simultatis in duratione, sed etiam in ordine naturæ, et causalitate.

14. *Confirmatur hæc sententia ex Bernardo.* — Denique sententiam hanc expresse docuit Bernardus, lib. de Grat. et liber. arbitr., circa finem, ubi de gratia sic inquit: *Ipsa liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum, roborat ut perducatur ad actum, servat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in ceteris comitetur. Ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur; ita tamen, quod a sola gratia ceptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mistim, non sigillatim, simul non vicissim, singulos profectus operentur.* Quid clarius, quæso, aut evidentius dici poterat? Nihil vero est tam manifestum quod tergiversationibus non sit expositum. Respondent ergo Bernardum, cum dixit gratiam prævenire arbitrium, quoad solam gratiam excitantem, loqui de præventionem secundum ordinem temporis: sic enim sola gratia excitans est prior quam consensus; et cum dixit in reliquis simul concurrere cum arbitrio, intelligere de simultate temporis, non naturæ, idque suadere nituntur, quia statim Bernardus subdit: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt, totum quidem hoc et totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Nam quia dicit *totum ex illa*, exponunt gratiam prius natura concurrere, et cooperationem arbitrii ex cooperatione gratiæ pendere, ac subinde cooperationem gratiæ esse natura prior.

15. *Mens Bernardi amplius explicatur.* — At hæc certe nimis voluntaria et violenta sunt. Nam prius dicit Bernardus: *Totum quidem hoc*; id est liberum arbitrium prius natura efficere actum, et cooperationem gratiæ a cooperatione arbitrii pendere? Sicut ergo ista illatio frivola esset, ita est etiam illa, eamque excludunt illa verba: *Sed totum singula opere individuo peragunt.* Et hæc ipsa manifeste convincunt loqui Bernardum etiam de simultate naturæ et causalitatis, et fundamentalem rationem attingit, quia unica indivisibilis actio est ab utroque principio. Idemque optime significavit, cum dixit: *Quod a sola gratia ceptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mistim, non sigillatim, simul, non vicissim.* Consulto enim videtur tot modis explicasse illam simultatem, ne putaretur esse per solam concomitantiam temporis, sed

causalitatis et actionis indivisibilis, et quasi mixtæ ex influxu simultaneo gratiæ et liberi arbitrii. Unde cum solam gratiam excitantem dicit esse prævenientem, in opposita significatione vocem prævenientis assumit, considerando id quod est per se, non quod est accidentarium. Nam quod excitans gratia tempore præcedat, accidentarium est; per se autem est, quod præcedat ordine causalitatis, et quod a Deo solo fiat. Et in hoc genere dicit Bernardus illam gratiam unicam et solam esse prævenientem, et a sola illa opus salutis inchoari.

16. *Solvuntur testimonia num. 2 allata.* — Ad primum ergo testimonium, respondetur Deum operari in nobis velle, et perficere, excitando et adjuvando nos, seu operando in nobis, et cooperando nobiscum. Et similiter operatur Deus omnia nostra nobiscum concurrente, quæ omnia optime consistunt sine ordine naturæ in ipsamet cooperatione Dei cum homine. In testimonio Gelasii asserenda simul essent verba præcedentia, quæ sic habent: *Illud autem Pelagianorum virus est, olimque damnatum, quo putant gratiam secundum merita hominum posse conferri*; et sequentia, quibus concludit *principium salutis et fidei a gratia capisse*; hoc autem initium, jam sæpe ostensum est esse vocationem, et illud donum gratiæ est, de quo in allegatis verbis dicit, *non præcessisse Paulum operando, sed fuisse subsequutum.* Et respectu ejusdem, ait fuisse Paulum cooperatorem gratiæ subsequendo, et ob eam gratiam ait dixisse Paulum: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, præponendo gratiam præcedentem se. Neque Sancti aliam prævenientem gratiam, quæ Paulum præveniret, nos docuerunt; neque est unde suspicemur Gelasium in alio sensu esse locutum.

17. *Ad Tridentinum num. 3 adductum.* — *Ad Prosperum.* — Ad tertium, ex Tridentino respondetur contrarium convinci ex eisdem verbis, nam cum dicit liberum arbitrium esse a Deo motum et excitatum, non duas gratias prævenientes ponit, sed quia generali verbo dixerat *motum*, declarat modum motionis, addendo, *et excitatum.* Alioqui fingi etiam posset ante excitationem præcedere aliam motionem, quod frivolum est. Deinde excitationem per vocationem declarat, et illi immediate adiungit cooperationem, nullamque aliam gratiam prævenientem et mediam, inter gratiam excitantem et nostram cooperationem, nobis tradit. De gratia vero cooperante nihil ibi expresse tradit, sed in correlativo ex parte nos-

tra illam comprehendit, et simul cum nostra cooperatione conjungi significat. Neque aliud alio modo insinuavit de gratia adjuvante in cap. 3, ut ex verbis ejus aperte constat, et supra satis ostensum est. Prosper autem operantem gratiam, quæ non est alia ab excitante, prævenientem merito censuit, et ideo præoperantem illam vocavit, nunquam tamen de cooperante significavit esse prævenientem, alias illam etiam præoperantem posset appellare.

18. *Ad dixum Thomam, num. 4.* — Ad D. Thomam, concedimus Deum movere voluntatem hominis per gratiam cooperantem, non tamen motione distincta ab illa qua se movet ipsa voluntas, et ideo illa motio, ut talis, nullo modo esse potest gratia præveniens, sed comitans. Unde in utraque consequentia quæ ibi fit, est clara deceptio; gratia enim cooperans, ut talis est, non est principium movens, ut est prius natura quam sua motio, sed vel est motio ipsa, vel est principium agendi, ut denominatum vel constitutum in actu secundo per illam, et sic movens, seu agens in actu secundo, non est prius natura quam ejus motio, seu actio, cum per illam formaliter constituatur.

19. *Ad rationes n. 5 allatas.* — Ad primam rationem distinguenda est minor: *In omni opere meritorio mens nostra movetur physice a Deo*, motione cooperativa verum est, prævia seu præveniente non est verum nisi ratione gratiæ excitantis, de qua loquitur Paulus ad Rom. 8, ut passim exponit Augustinus, et lib. 5 videbimus. Gratia autem excitans, licet physice a Deo fiat, et ut sic possit dici physica præmotio, non tamen influit physice in consensum, sed moraliter. Et nihilominus licet in se, et ut excitans, sit prævia, ut adjuvans et cooperans, est comitans. Ad secundam, quidquid sit de antecedente, quoad particularitatem causarum negatur consequentia, quia duæ causæ totales in suis generibus, quarum una pendet ab alia essentialiter in agendo, possunt simul natura concurrere ad eandem actionem et effectum, ut de causa prima et secunda paulo post ostendemus, et de potentia et habitu ipsi etiam arguentes concedunt. Idem ergo esse poterit de gratia operante, ut sit cooperans concurrente cum voluntate. Alias nullus posset esse influxus simultaneus secundum naturam, a gratia simul et voluntate, quod neque illi auctores dicere audent, ut in sequentibus videbimus.

CAPUT XXV.

UTRUM CONCURSUS DEI, UT PRIMÆ CAUSÆ, AD SUPERNATURALES ACTUS AUXILIUM SUPERNATURALE SIT.

1. *Status questionis de concursu primæ causæ ut sic ad actus pietatis.* — Hactenus illa gratiæ auxilia explicavimus, quæ ad suppleendam et juvandam imbecillitatem et infirmitatem virium liberi arbitrii, ad operandum bonum, divina liberalitate conferuntur, quæ omnia ad causalitatem particularem causæ secundæ seu proximæ spectant, ut explicatum est; nunc dicendum nobis est de concursu generali Dei ut primæ causæ; nam etiam propriissime potest auxilium vocari, et inter auxilia adjuvantia recenseri, ut supra tetigimus. Disputationem autem de illo in hunc locum distulimus, quia et propriam quamdam rationem auxilii habet, et hoc tempore singularem habet controversiam, quam hoc loco exacte disputare necessarium duximus, ut ad similem disputationem de auxilio efficaci viam paremus. Solet autem distingui concursus in simultaneum et prævium, seu in concursum in causam ipsam secundam, ut agens est, et in effectum, seu actionem ejusdem causæ. Nos vero concursum prævium necessarium esse non credimus, et ideo in his prioribus capitulis, de concursu simpliciter loquentes, simultaneum intelligimus; illo vero explicato, de prævio inquiremus.

2. *Prima conclusio.* — *Potentia creata sive nude, sive habitu instructa, indigent concursu causæ primæ ad actus supernaturales.* — *Probatur primo ex Scriptura.* — Primum ergo statuimus potentias nostras, sive nudas, sive etiam habitibus infusis instructas, indigere concursu Dei ut universalis causæ ad supernaturales actiones eliciendas. Hæc assertio certissima est, neque in illa est controversia inter modernos, omnes enim damnant sententiam Durandi in 2, d. 1, q. 5; et d. 37, q. 1, qui negavit essentialem dependentiam voluntatis, in suis actionibus liberis, ab actuali concursu et influxu Dei, quam etiam in Origene damnat D. Thomas, 3 contr. gent., cap. 89, dicitque esse evidenter contra Scripturam. Supra etiam libro 1 retulimus graves auctores, sentientes errorem hunc damnatum fuisse in Pelagio, qui, ut salvaret libertatem, videtur constituisse voluntatem nostram omnino independentem a Deo in operando; sic ergo veri-